

[34] In consulatu sexto et septimo,
postquam bella civilia exstinxeram¹,
per consensum universorum potitus rerum omnium,
rem publicam ex mea potestate
in senatus populique Romani arbitrium transtuli.
Quo² pro merito meo
senatusconsulto Augustus appellatus sum
et laureis postes aedium mearum vestiti publice
coronaque civica super januam meam fixa est,
et clipeus aureus in curia Julia positus,
quem mihi senatum populumque Romanum dare
virtutis clementiaeque iustitiae et pietatis causa
testatum est per ejus clipei inscriptionem.
Post id tempus auctoritate omnibus praestiti,
potestatis autem nihilo amplius habui quam ceteri
qui mihi quoque in magistratu collegae fuerunt.

1 Indicatif plus que parfait 1e sg

2 Relatif de liaison = et eo pro merito meo